

I. N. J. C.

DISSERTATIO GRADUALIS,
EXPLICATURA QUÆSTIONEM:
**CUR PAUCIORA NOSTRO
ÆVO, QUAM OLIM, SINT
PRODIGIA?**

QUAM

*Saffrag. Ampl. FACULT. Philof. in Regia ad Auvam
Academia,*

PRÆSIDE

**M^{AG.} JOHANN E
BILMARK,**

HISTOR. ET PHIL. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORD.

Publico examini modeste submittit

EMMANUEL INDRENIUS,
Rossia-Fenno.

In AUDITORIO MAJORI Die XIV Decembr.
An. MDCCLXXIV.

H. A. M. C.

A B O Æ

Impressit JOHANNES CHRISTOPHORUS FRENCKELL.

J. Geng...

V I R O

Amplissimo atque Consultissimo,

D. NO M A G N O
O R R Æ O,

Supremi Imperialis Senatus Secretario Dignissimo,

EVERGETÆ PROPENSISSIMO.

*D*issertationem hanc, exiguum valde munusculum,
Tibi in pignus perpetuæ observantice consecratam esse
voluit ac debuit

Amplissimi NOMINIS TUI

Cultor humillimus
EMMAN. INDRENIUS.

V I R O

Admodum Reverendo atque Præclarissimo,

**D^N. CAROLO GUST.
NICANDER,**

*Ecclesiæ, quæ DEO in Walkeala colligitur, Pastori meriti-
ssimo & Districtus adjacentis Præposito Dignissimo,*

EVERGETÆ & AVUNCULO PROPENSISSIMO.

Non tam more, quam potius amore ac veneratione ductus
dissertationem hanc meam Gradualement Tibi, Avuncule
Propensissime, qua par est observantia, offero, enixe
rogitans, digneris eandem sereno excipere vultu. Quam si
dederis veniam, nihil mihi prius erit, nihil antiquius, quam
ad Supremum Numen pro Tua Tuorumque perenni felicitate
vota fundere calidissima, ad extremum vitæ halitum per-
mansurus

Admodum Reverendi NOMINIS TUI

Cultor humillimus

EMMAN. INDRENIUS.



PRÆFATIO

Librum Naturæ evolventes, nullam in eodem paginam perlustrare possumus, quæ non argumenta existentiæ DEI, Ejusque perfectionum, imprimis bonitatis, sapientiæ & omnipotentia exhibeat luculentissima, adeo ut merito professus sit Apostolus PAULUS, quod DEUS nulli genti sese *αὐδέωρον* reliquerit; siquidem Liber naturæ, cujus lineæ sunt phænomena, singulis pateat. In Regno Naturæ omnia constantissimo fiunt ordine, corpora mundi majora eodem tenore tam in orbitis, quam circa axes suos moventur, adeo ut ex legibus motus, quas eadem sequi animadvertimus, sagacitas humana determinare possit momenta temporum, quibus unicuique propria contingent phænomena. Similiter in corporum sublunarium ortu, conservatione & occasu certæ observantur leges, quas eadem rarissime migrare observamus, quamobrem scite admodum dixit nonnemo: Quod in lege naturæ nulla plane sit litura. Hæc autem, quæ attulimus, non eo sunt trahenda, quasi leges Naturæ ejusdem sint indolis cum legibus Moralibus a DEO latis: sicut enim hæc in ipsa DEI essentiali sanctitate & justitia sunt fundatæ, adeoque nullam vel dispensationem vel immutationem, admittunt, ita illæ a sapientissimo DEI beneplacito dependent, & proinde nihil omnino impedit, quin phænomena eisdem contraria subinde edenda curet DEUS, quando sapientia Ejus hoc postulat & gloria magnalium Divinorum aliter inter mortales manifestari nequit. Enimvero præter solitos & expectandos naturæ effectus, quorum causas humana detexit sagacitas, &

& præter miracula, quorum ratio consuetis naturæ legibus repugnat, dantur adhuc, ceu experientia satis superque comprobat, alii effectus naturales, quorum rationem ex rerum creatarum indole, in quantum eandem hæcenus deteximus, reddere non possumus, quæque Prodigia communiter appellantur, propterea, quod antiquitas, nimis credula, sibi persuaserit, eadem aliquid portendere, & hominibus quid antea vel annuntiare vel denuntiare, quam Divina manifestarentur judicia. Sicut enim prius fulminat, quam tonat, & sicut tormentum explosum prius & oculos per ignem & aures per grave murmur affligit, quam globus, ille rerum objectarum destructor, scopum ferit; ita etiam ex simili quodam argumentantur nonnulli, quod prodigia prius proponat DEUS, quam justissima sua ingravescere sinat judicia.

§. I.

Nemini, ut opinor, mirum obveniet, quod insoliti effectus naturales & quorum causam nostra adsequi non potest ratio, subinde contingant. Humanæ certe sortis oblitus esse videtur, quisquis sibi tantum tribuerit, ut suæ sagacitati nihil impervium aut imperscrutabile judicaverit. De rerum naturalium indole nihil ex priori cognoscimus, sed quicquid scimus, illud experientia atque experimentis, quanta unquam fieri potest cura institutis, totum debemus. Finguntur communiter hypotheses, illisque sollicitè aptantur phænomena; sed quam sæpe, quæso, accidit, ut novum quoddam phænomenon, non industria humana, sed casu, ut videtur, existens, totum ratiociniorum ædificium penitus convellat. Quantumvis igitur multa moliantur rerum naturalium scrutatores, in cortice tamen earum hære coguntur, ipsosque quotidiana convincit experientia, quod maxima pars eorum,

quæ scimus, sit minima pars eorum quæ ignoramus. Præter leges enim motus generales, dantur adhuc leges speciales actionum tam corporum in se invicem, quam in alia corpora, intra quorum sphaeram actionis pervenerunt. Et quum in officinis naturæ Curiosorum ex combinatione & commixtione diversorum corporum existant effectus adeo insoliti ut ne divinando quidem eorum rationem adæqui quisquam possit, quamvis Oedipo etiam ingeniosior fuerit, quanto magis in amplissimo hujus mundi theatro, in quo tot diversorum vaporum & exhalationum agmina, quot satis admirari non possumus, sibi invicem occurrunt, existent phænomena, quorum causas ingenium humanum ne subodorari quidem valebit. Consequenter prodigia non tantum non legibus naturæ sunt contraria, sed per constitutas naturæ vires fieri aliter nequit, quam ut ipsa interdum conspiciantur.

§. II.

In ipso tractationis limine statim suboritur quæstio: An prodigia considerari debeant ut prænuntia futurorum eventuum tam Physicorum, quam Moralium & Politicorum? Quod quædam in regno naturæ phænomena sint prænuntia aliorum, quæ mox insequentur, vulgaris etiam docet experientia. Nemo enim ignorat, quod ante fulminet, quam tonet, vel quod Mercurius plerumque in Barometro subsidat, antequam tempestas pluvia insequatur. Quædam autem prodigia sunt effectus præcedentiarum naturæ operationum, adeoque hæc illorum sunt causæ, & consequenter peculiaris hæc spectacula nullas in natura mutationes portendunt. Prodigia autem, saltem pleraque, mutationes quasdam in mundo sive Morali sive Politico non portendere videntur. Docet enim experientia, quod insolita hæc phænomena conspiciantur in alti-

ori

ori atmosphæræ regione, adeo ut plures simul populû eadem contemplari queant. Aut igitur cunctis spectato-ribus sinistri quid portendunt, id quod nemo facile dixerit, nec fida rerum Magistra, experientia, comprobât, aut singularibus tantummodo hominibus vel locis quid ominosi imminet; quo posito, incerto incertius foret, quos heic indigitatos vellet minitans justitia Divina. Ulterius si DEUS per prodigia commonefacere vellet homines suorum officiorum, quæri potest, quare signis utatur ambiguis & quæ a nemine mortalium intelligi possunt? Dedit nobis DEUS legem naturalem, actionum nostrarum normam, indidit etiam animis nostris conscientiam, quæ adinstar vigilis cujusdam genii hominem sui officii admonet; adeoque in hoc negotio nobis concessum est, quod rationalibus creaturis optime conveniat. Adde, quod Divinæ sapientiæ minus consentaneum foret, illos per prodigia confundere, quos per rationes convincere possit. Denique quam multa quæso, si relationibus fides habenda, contigerunt prodigia, quæ nullæ in mundo sive Morali sive Politico infecutæ sunt mutationes, & vicissim quam multæ rerum publicarum factæ sunt conversiones, quas nulla, quantum constat, præcesserunt prodigia, adeo ut tuto colligere possimus, quod inter prodigia & eventus Politicos nullus detur nexus naturalis. Quare etiam portentosam prodigiorum indolem saniores gentilium Philosophorum impugnarunt. Scilicet LUCANUS Pharsal. Libr. 2. ita canit

*Cur hanc tibi, Rector Olympi,
Sollicitis visum mortalibus addere curam,
Noscant venturas ut dira per omina clades?*

§. III.

Quum pleraque prodigia rationem sui sufficientem in legibus naturæ particularibus, nobis quidem hactenus inco-

incognitis habeant; frustra omnino sese torquent, qui ex illis conjecturas de futuris in mundo rerum eventibus sibi formant. Isthæc tamen conclusio non valet de singulis prodigiis, siquidem dentur subinde talia, quæ consuetis naturæ legibus atque exploratis corporum quorundam proprietatibus e diametro repugnant; in quibus insolitis plane effectibus seu miraculis sicut omnipotentia Divina extraordinario quodam modo sese manifestat, non propter DEUM, quippe qui sibi ipsi est sufficientissimus, nec ad emendationem quandam operationum Naturæ, siquidem hæc omnes post exiguam temporis moram ad consuetum tenorem peragantur; sequitur, quod miracula reapse alicujus momentosæ rei segnes homines commonefaciant. Existimat quidem RYDIGERUS Phys. Divin. Libr. I. Cap. I. Sect. V. §. 134. ad constitutionem miraculi solam immediatam effectus alicujus productionem requiri, sed quam immerito hoc ipsum contendat, vel inde colligi potest, quod sic miraculum ab effectu naturali nemo discernere posset. Nec ulla est Sapientissimo rerum Conditori ratio effectum immediate producendi talem, qui mediis naturalibus eadem facilitate eodemque perfectionis gradu hæc & nunc obtineri posset. Non equidem negamus, multos effectus in regno præsertim naturæ miraculose productos, mediis etiam naturalibus produci potuisse, sed alio plane rerum nexu minorique dexteritate, quam per miraculum est factum. Recte igitur docet WOLFIUS in Cosmolg. §. 526. effectum alias naturalem in miraculum abire, si causa naturalis sufficiens tum deficiat, quando ipse existit. Adde insuper, quod licet miracula rationem sui sufficientem habeant in ipso DEO, quandoque tamen eadem præstita fuerunt ab hominibus, DEO peculiariter dilectis, non per ipsorum propriam, sed per concessam sibi a DEO virtutem, qui ita luculenter demonstrarunt, se
 Supre-

Supremi Numinis esse Legatos, eum in finem, quem sincere profitebantur, missos. Sicut autem miracula non fiunt nisi propter gravissimos fines, eademque rarissime contingunt; ita pumice durius gereret pectus, quisquis hinc non commoveretur ad DEI voluntatem ita indagandam & huic convenienter sese gerendum.

§. IV.

Sicut Diabolus vulgo audit Simia DEI, propterea quod multa mirabilia in mundo patret; ita etiam dantur homines, speciem prolixæ pietatis mentientes, qui dono miracula patrandi, quali Phrophetas & Apostolos instructos fuisse legimus, sese gaudere, aliis persuadere conantur. Quum igitur prodigiorum admodum feracia fuerint illa, quæ ab antiquitate commendantur, tempora, proposito nostro forte non erit alienum, quædam horum exempla, imprimis ex Historia gentium Septemtrionalium petita, in medium proferre. Sic de B. DAVIDE, Westmannorum Apostolo, memoriæ proditur: *Quum jam præ senio oculi ejus ex frequentibus lacrimis in oratione effusis caligarent, radium solis per fenestram intrantem paxillum esse existimans, in eo suas appendit chirothecas, quas servus ut adferret in radio solis invenit pendentas.* Similiter de S. CATHARINA relatum legimus: *Catharina Sveca, Sanctorum parentum Sancta filia, statim ab infantia egregium castitatis specimen dedit, cum adhuc lactens incontinentioris nutricis ubera sugere omnino abhorruit.* Forte adhuc decrepita quædam vetula nauseabundam hanc Catharinæ pietatem admiraretur. Certum est, quod Monarchi hæc & alia similia plane egregia facinora tanti fecerint, ut post maturum scrutinium illam censuerint dignissimam, quæ sanctorum adscriberetur albo. His prorsus conso-

na sunt, quæ de B. SIGFRIDO perhibentur: Cum enim quadam nocte circa stagnum, Wexionensi Ecclesiæ contiguum, orans inambulare, vidit e longinquo tria lumina per aquas ad se deferri, quorum indicio urnam, in qua capita Clarissimorum Nepotum projecta erant, in aquis invenit; quæ adhuc roseo cruore perfusa adspiciens, dixit: Vindictet DEUS; Cui mox e capitibus unum respondit: Vindicabit; alterum dixit: Quando? Tertium subjunxit: in filios filiorum. Cujus vaticinii veritatem nonnulli etiamnum pro comperta habent, sed qui egregie & falluntur & fallunt. Denique silentio prætereire non possum, quæ de ANTONIO, primo Religionis Christianæ per Rossiam præcone, habent Annales Novogardenses. De hoc enim perhibent, quod quum lapides molares Romæ aliquando reficeret, totum ædificium ab undis impellentibus adeo fuerit convulsus, ut loco suo excuteretur. Hoc deinceps navigio sine velis & remis per mare ferebatur Mediterraneum, Dardanellas feliciter præternavigavit, nec prius substitit, quam Novogardiæ portum attigisset. Navi hac molari egressus, prodigiosam hanc navigationem Novogardensibus exposuit, apud quos mox tantam invenit fidem, ut illum pro Divino quodam viro confestim habuerint. Plura hujus turfuris exempla proferre nec licet nec libet: siquidem allata etiam multi non præter rationem ad aniles mugas referent.

§. V.

Pergimus autem, inquisituri in causas, quare numerus prodigiorum olim fuerit amplissimus, qui nostra ætate insigniter decrevit. Harum primam constituimus rerum naturalium ignorantiam. Verum quidem est, quod liber naturæ singulis pateat; atamen sicut non omnes, qui librum quandam evolutum vident, singulos chara-

characteres obvios legere, nedum sensum singulorum
 verborum & sententiarum statim adsequuntur, sed mul-
 ta opus sit attentione eis, qui mentem auctoris colli-
 gent; ita quoque sine sollicita attentione ac phænomen-
 orum inter se comparatione nemo naturæ operationes
 rite, uti par est, intelliget. Quin potius ignorantia glau-
 comate oculis objecto pro insolitis habebit effectibus ea,
 quorum causas diligens naturæ scrutator ita novit, ut
 prodigiorum istorum tam ortum quam durationem de-
 terminare ante valeat, quam ipsa ingruant. Quam ab-
 surda quæso sunt pleraque a veteribus jactata prodigia &
 quam crassam hæc produunt ignorantiam. Sic Eclipses
 lunæ oriuntur ex interpositione telluris inter solem atque lu-
 nam; quas veteres, uti ex VIRGILIO constat, ita explica-
 bant, ut quidam magicis artibus lunam e cœlo deduce-
 rent. Similiter inter alia prodigia, quæ studiose collegit
 JULIUS OBSEQUENS, etiam hoc habet, quod lupi interdum
 urbem intraverint. Sed Cel. SCHEFFERUS *in suis ad hunc*
librum animadversionibus, præeunte BOCHARTO, modeste
 dubitat, an hoc pro prodigio haberi queat; melius ex
 nostra quidem sententia facturus, si simpliciter dixisset,
 nullum omnino hoc prodigium fuisse: siquidem nihil in-
 stinctui naturali sit convenientius, quam ut lupi vel fa-
 me vel tempestate compulsi ad domicilia hominum se-
 se conferant. Crassis igitur ignorantia tenebris nondum
 discussis, dum Eruditi non tam ineptum judicarunt præ-
 ter & contra naturam, quam ultra Aristotelem sapere
 velle, factum est, ut antiquissima tempora continuo ja-
 ctarent sua prodigia, & quod adhuc deterius est, ad
 magicas artes referrent experimenta in peculiaribus &
 nunc in vulgus etiam notis corporum proprietatibus fun-
 data, qualia quilibet, cui volupe fuerit, facile repetere
 potest.

§. VI.

Quod de filiabus nonnunquam dicitur, ut a proba parentum indole degenerent; idem etiam, saltem respectu originis, valet de superstitione. Quin pleraque in superstitione digna sint, quæ atro notentur carbone, nemo sanus facile negabit; attamen fundamentum ejusdem est aliquis Supremi Numinis sensus. Superstitiosus enim agnoscit DEI existentiam & supremam Ejus Majestatem; metuit continuo, ne DEUM offendat non solum in se & immediate sed etiam in suis operibus; quo metu perculsus opera etiam Divina cultu religioso profequitur. Talis igitur non dissimilis est civi, qui quum Regem suum intensissime colat ac veneretur, singulis etiam ministris ab eo missis eundem exhibet honorem, quem Regi, si ipse præsens esset, præstaret; sibi persuadens, se suo officio non alia ratione satisfacere posse. Ex superstitione igitur multa existierunt prodigia, quorum numero nunc laborat mundus. Quum enim superstitiosi tenera imaginatio plerumque præcurrat & rationem & sensus, fieri aliter non potest quam ut ipse multa se videre existimet, quæ tamen non videt, & multa videat, ad quæ tamen animum non advertit. Et quum præterea ignorantia plerumque laboret, immediatam DEI Omnipotentis esse actionem autumat, quicquid ipsius naturæ operantis tantummodo est effectus. Hanc allatam prodigiorum causam esse genuinam annales fide digni comprobant. Hispani in Americam perveniunt, sed quum nimis crudeliter sese erga incolas gerunt, hi vicissim truculentis hospibus aquas necessarias denegant. Ceteris consilii inopibus, quidam ex Hispanis denunciat Americanis, DEUM, a quo Europæi missi erant, solis lumen statuto tempore, quo magnam solis Eclipsin futuram ex Ephemeridibus didicerat, in signum imminentis vindi-

vindictæ extincturum, nisi Hispani desideratam obtine-
rent aquam. Ingruentibus tenebris Americani Eclipsin
solis prodigium quoddam esse suspicari, Hispanis vi-
tam acre trahentibus aquam liberaliter porrigunt, & in-
terea sol pristinum recuperat fulgorem. Bene igitur Li-
vius: Versis in religionem, *potius superstitionem*, animis,
multa visâ creditaque prodigia, quæ non erant.

§. VII.

Inter alias animæ nostræ facultates referenda etiam
est *imaginatio*, qua absentium rerum imagines tamquam
præsentis sistit, ipsasque mirum in modum inter se con-
format. Quocirca domestica experientia quemlibet con-
docet, quod pro varia corporis nostri dispositione di-
versa quoque sit imaginationis vis, ita quidem, ut quo
debilius sit corpus, modo idem senio non prorsus fu-
erit confectum, eo etiam vividior sit imaginatio, occu-
petque illud in sensus nostros imperium, quod ratio no-
stra paullo ante habuerat. Idem etiam propter artissi-
mum inter animam & corpus commercium accidere
experimur, quoties animus vel dolore vel motu quo-
dam percellitur. Finge enim hominem, vesperscente
cælo, per ignotam oberrare silvam, nonne quot oculis
ejus sistuntur stipites & arbores, tot homines sistit ima-
ginatio nimis vivida, gladiis, bombardis & fustibus ar-
matus? Tertiam igitur causam frequentiarum prodigiorum
constituimus turbulenta tempora, imprimisque bellorum
strepitus. Saviente enim Marte, quilibet præliorum e-
ventus, licet non sint, habentur tamen critici; unde
porro fit, ut hominum, in dubiis ejusmodi casibus con-
stitutorum, imaginatio sit nimis operosa & proinde ef-
fectus naturæ non prorsus insolitos in totidem convertat
prodigia. Consulamus omnium populorum Annales, &

hi nos docebunt, ista tempora fuisse prodigiorum feracissima, quibus homines bellis fuerunt distracti. Sic si tempora expeditionum, uti dictæ sunt, sacrarum perlustremus, non anni tantum & menses, sed dies etiam notati sunt prodigiis quibusdam, quæ facta horum Crucigerorum præcesserint, quæque futuros portenderint negotiorum eventus. Legiones angelorum caelestium albis indutorum paludamentis, de cælo descenderunt, ut succurrerent hominibus, quos non iusta belli causa armarat, & quorum vita gravissimis notata fuerat flagitiis. Similiter in gravissimo illo tricennali bello Sveco-Germanico, quod ductu & auspiciis Regis GUSTAVI ADOLPHI fuit gestum, quam multa contigerint prodigia, quam sæpe caelestes leones & aquilæ invicem ferociter pugnaverint, qui scire desideret, consulat illius ævi monumenta. Bene igitur TACITUS, *quod in pacis fors & natura, id in bello fatum & ira DEI vocabatur.*

§. VIII.

Nec reticendum erit, quod multa prodigia sint conficta ad captandam vulgi auram. Scilicet dantur homines, qui ut finem non semper honestum sibi proponunt; ita parum sunt solliciti de mediis ad finem perveniendi. Hi quum satis prævideant, se a scopo aberraturos, si sincere res suas agant, in Divinitate præsidium causa: suæ quærunt. Hac in re eximii omnino sunt artifices, qui Religioni Romano-Catholicæ sunt addicti. Quum enim horum molimina non eo præcise tendant, ut homines ad fidem conversos reddant meliores, quam potius ut Hierarchiam Papalem summopere constituent; ita illi haberi volunt, quibus prodigia patrandi potestas competat, ut vulgus credat, ipsos reapse esse Divinos ministros, & eorum placita esse totidem oracula. Sic de B. SIGFRIDO,

DO, supra memoratæ habent legendæ: Sigfridus, relicta patria, circa annum Domini millesimum pervenit in Gothiam, ubi nunc Wexionensis Ecclesia cernitur. Quo in loco cum sub Papilionibus sacrificium Domini offerret, a Præfecto Regio in elevatione hostiæ puerum visus est allevasse. Quis quæso non videt, quod hoc commentum sit excogitatum ad fidem faciendam dogmati de Transsubstantiatione. His Papicolis mitiorem cenfuram merentur Gentilium Historici, qui prodigia suis narrationibus passim inseruerunt, ut scripta ad genium sæculi sui componerent. Sic Livius, quantumvis acutissimus Historicus, hæc habet: *In locum Marcelli, ubi is sese magistratu abdicavit, susceptus Fabius Maximus tertium. Mare arsit eo anno; ad Sinuessam bos equuleum peperit, signa Lanuvii ad Junonis sospitiæ adem cruore manavere, lapidibusque circa id templum pluit &c.* Taceo alia, quæ non tam salivam, quam potius omni stomacho nauseam movent.

§. IX.

Ex quatuor hisce, quas modo attulimus, causis potissimum provenerunt illa prodigiorum, agmina, quibus ad stuporem usque antiquissima laborarunt sæcula. Quare quum contrariorum contraria sit ratio, & deficientibus causis cessent etiam effectus, facile intelligitur, cur pauciora nostro ævo, quam olim, sint, prodigia. Pervenimus enim ad pleniorum rerum naturalium cognitionem per experimenta multo studio instituta & sæpius reperita, adeo ut phænomena quædam ab antiquis pro totidem habita prodigiis, dextre imitari possimus. Et si quid insoliti occurreret, Naturæ scrutatores consilia

lia & operas conjungunt, ut talis phænomeni indolem sibi perspectam reddant. Versamur etiam in clarissima rationis & revelationis luce, quæ superstitionis præstigias feliciter dissipavit; nec continuis impliciti sumus bellis. Et si quis nunc Historicus prodigia quædam, ut lumina, suo scripto infereret, ille non aliorum admirationem sibi conciliaret, sed risui cordatiorum ita sese exponeret, ut quantumvis celbritate nominis inclaruerit, magnum tamen deinceps haberetur ignorantia prodigium.

S. D. G.

Clarissimo DOMINO AUCTORI
Amico Integerrimo

In amicitia leges, ab omnibus sanctissime servandas, me graviter impegisse putarem, si sincerissimum meum in Te adfectum silentii peplo nunc involverem, dum occasio illum publice testatum faciendi mihi suppeditatur satis opportuna. Deberem equidem jam in campum laudum Tuarum exspatiari, quotquot autem perlegerint banc Tuam Dissertationem, in qua elegantissime omnes in medium protulisti rationes, quæ maxime conducunt ad enodandam arduam questionem: Cur Prodigia nostro ævo sint pauciora quam olim, facillimo vel exinde deprehendent negotio, dignissimum Te esse, qui summis celebreris laudibus, adeoque meo opus non habeas præconio. Gratulabundus igitur ex intimo pectore hocce adjungam votum, velit Supremus universi hujus Moderator uberrimis doctrinam Tuam virtutemque mactare præmiis. Sic vovet

Tuus totus
ARON MOLÄNDER.